



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies  
Distribvtis**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1637**

S. Petrus Damiani. 22. Februarii.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-44055**

tamina esse non possint: Habet enim & pax nostra Martyres suos: Nam iracundiam mitigare, libidinem fugere, justitiam custodire, avaritiam contemnere, superbiam humiliare, pars magna Martyrii est. S. Aug. serm. 250. de Temp.

## S. PETRUS DAMIANI. 22. Februarii.

**D**ubites magisne primò fortuna PETRVM, an PETRVS deinde fortunam fugerit. Infans fame sitique periisset, nisi ubera, quæ matér dicam an noverca? morituro negaverat, aliena nutrix præbuisset. A fratre natu maximo porcis pascendis præfectus cùm nummū reperisset argenteum, cogitanti in quas potius illecebras eum expenderet, sanctior cogitatio persuasit Sacerdoti dare sacra facturo. A Damiano denique fratre, cuius velut patroni nomen postea tulit, literis admotus, eas primò celeriter didicit, mox etiam applaudente Italiam docuit; sed memor injuriarum, quibus mundus eum exercuerat, blandientem jam & ipse aversatus, inter summos honores, corpus cœpit duriter habere, æstum libidinis rigentibus aquis mergere, sub veste splendida cilicum occultare; denique inter Anachoretas se abdere, ibique è discipulo magister sanctioris vitæ miraculis coruscare. Tantam virtutem Pontifex purpurā ornavit; quam cùm nemo unquam digniūs, & majore Ecclesiæ bono tulisset, anno M.LXXII. cum vitâ posuit; vel eo solo nomine, quod Officium Horariorum D. Virginis sacrum in memoriam & usum pristinum revocavit, omnibus Sodalibus memorandum, ex cuius divinissimis scriptis, vel hos versiculos, quos suo tumulo inscripsit, recoluisse operæ pretium sit:

Vive

.Feb.  
Mar-  
n fu-  
, su-  
Aug.

22. Feb. VITÆ SANCTORVM. 109

Vive memor mortis, quò semper vivere possis:

Quidquid adest, transit; quod manet, ecce venit.  
Quam bene providit, qui te male munde reliquit,  
Mente priùs carni, quam tibi carne mori.

Ex Surio & Baron.

Ei, qui omnia elargitus est, universas opes dato; nunquam Dei liberalitatem vinces, quamvis omnium tuarum facultatum jacturam feceris, quamvis te etiam facultatibus adjunxeris; Nam hoc quoque ipsum accipere est, Deo aliquid donare. S. Nazianzen. Orat. de amor. pauperum.

### S. MARGARITA POENITENS.

22. Februarii.

M ARGARITAM hanc in Perusino agro inventimus: nitorem ejus in juventa Amor turpis extinxit, restituit deinde D. Francisci disciplina. Viro nobili olim, immo Veneri serviebat. Is domo quandoque abiit, cane comite. Hæc post dies non multos lacinia prehensam MARGARITAM ad struem lignorum deduxit, oculis, latratuque rogar e visa, ut ligna amoveret. Amovet, Dominum agnoscit; sed jam mortis larvam. Enim verò exhorruit, & in alieno vultu suum contemplata, formam, mundum, & ante omnia vitam priorem lacrimis damnat. Et abluerunt hæ brevi latenter in cœno MARGARITAM; vitæ rigor velut scalpelum pulcherrimam reddidit, ut jam prodigiis splenderet. Et primò, ne VIRGINIS immemorem putes vixisse, id precibus exoravit, ut dolores, quos stans illa ponè crucem pertulerat, etiam ipsa persentisceret. Sensit, & sub horam tertiam inter manus multorum collapsa, inde horâ nonâ morienti

E 7

ridenti